

www.e-rara.ch

Marc. Tul. Ciceronis Epistolarum familiarium libri XVI

Cicéron

Friburgi Helvetiorum, 1608

Bibliothèque cantonale et universitaire Fribourg

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-135309>

Liber quartus. M. T. C. servio sulpitio S.P.D.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

EPIST. FAM.

meis, nullum onus officij cuiquam reliquū fecisse? Hæc mihi ampliora multo sunt, quàm illa ipsa propter quæ hæc elaborantur. Insignia enim virtutis multi etiã sine virtute assecuti sunt: talium virorum tanta studia assequi sola virtus potest. Itaq; mihi propono fructum amicitie nostræ ipsam amicitia, qua nihil est uberius, præsertim in ijs studiis, quibus uterq; nostrū deninctus est. Nū tibi me profiteor & in rep. socium, de qua idē sentimus: & in quotidiana vita coniunctum, cum ijs artibus studiisq; quæ colimus. Velim ita fortuna tulisset, ut quanti ego omneis tuos facio, tanti tu meos facere posses: quod tamen ipsum, nescio qua per motus animi diuinatione, non despero. Sed hoc nihil ad te: nostrum est onus. Illud velim sic habeas, quod intelliges, hac re nouata additū potius aliquid ad meum erga te studium, cui nihil videbatur addi posse, quàm quicquam esse deiraclū. Cū hæc scribebam, Censorem iam te esse sperabam: eo brevior est hæc epistola, & ut aduersus magistrum morum modestior. Vale.

M. T. CICER. EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER QVARTVS.

M. T. C. SERVIO SVLPITIO
S. P. D. I.

Caius Trebatius familiaris meus ad me scripsit, ex te se quæsisse, quibus in locis essem: molesteq; ferre, quod me propter valetudinem tuam, cū ad urbem accessissem, non vidisses: & hoc tempore velle te me-

cum, si propius accessissem, de officio utriusq, nostrum
 communicare. Utinam Servi salvis rebus (sic enim est di-
 cendum) colloqui potuissemus inter nos: profecto aliquid
 opis occidenti reipub. tulissemus. Cognoram enim iam
 absens, te hac mala multo antè providentem, defensorem
 pacis & in consulatu tuo & post consulatum fuisse. Ego
 autem cum consilium tuum probarem, idem ipse senti-
 rem, nihil proficiebam. Serò enim veneram, solus eram:
 rudis esse videbar in causa: incideram in hominum pu-
 gnandi cupidorum insanias. Nunc quoniam nihil iam
 videmur posse opitulari reipub. si quid est in quo nobis-
 metipsis consulere possimus, non ut aliquid ex pristino
 statu nostro retineamus, sed ut quàm honestissime lugea-
 mus: nemo est omnium, qui cum potius mihi, quàm te-
 cum communicandum putent. Nec enim clarissimorum
 virorum, quorum similes esse debemus, exempla, neque
 doctissimorum, quos semper coluisti, praecepta te fugiunt.
 Atque ipse antea ad te scripsissem, te frustra in senatū,
 siue potius in conventum senatorum esse venturum, ni
 verius essem, ne eius animum offenderem, qui à me, ut
 te imitarer, petebat. Cui quidem ego, cum me rogaret,
 ut adessem in senatu, eadem omnia quae à te de pace, &
 de Hispanijs dicta sunt, ostendi me dicturum. Rem vi-
 des, quo modo se habeat: orbem terrarum imperijs di-
 stributis ardere bello: Urbem sine legibus, sine iudicijs,
 sine iure, sine fide relictam direptioni & incendijs. Itaq,
 mihi venire in mentem nihil potest, non modo quod spe-
 rem: sed vix iam quid ardeam optare. Sin autem tibi
 homini prudentissimo videtur utile esse, nos colloqui:
 quanquam longius etiam cogitabam ab urbe discedere,
 cuius iam etiam nomen inuitus audio: tamen propius
 accedā. Trebatio mandavi, ut si quid tu cum velles ad

EPIST. FAM.

me mittere, ne recusaret: idq; ut facias uelim: aut si quē tuorum fidelium uoles, ad me mittas: ne aut tibi exire ex Urbe necesse sit, aut mihi accedere. Ego tibi tantum tribuo, quantum mihi fortasse arrogo: ut exploratum habeam, quicquid nos communi sententia statuerimus, id omnes homines probaturos. Vale.

M. T. C. SERVIO Sulpitio

S. P. D. 2.

AD III. Cal. Maias cum essem in Cumano, accepi tuas literas: quibus lectis cognoui nō satis prudenter fecisse Philotimum: qui, cum abs te mandata haberet, ut scribis, de omnibus rebus, ipse ad me non uenisset, literas tuas misisset, quas intellexi breuiores fuisse, quod enim perlaturum putasses. Sed tamen, postquam literas tuas legi, Posthumia tua me conuenit, & Seruius noster. His placuit, ut tu in Cumanū uenires: qui etiā mecum, ut ad te scriberem, egerunt. Quod meum consilium exquiris, id est tale, ut capere facilius ipse possim, quā alteri dare. Quid enim est quod audeam suadere tibi homini summa autoritate, summaq; prudentia? Si, quid rectissimum sit querimus, perspicuum est: si, quid maxime expediat, obscurum: sin y sumus, qui profecto esse debemus, ut nihil arbitremur expedire, nisi quod rectū honestumq; sit, non potest esse dubiū, quid faciendum nobis sit. Quod existimas meam causam coniunctam esse cum tua, certē similis in utroque nostrā, cum optimē sentiremus, error fuit. Nā omnia utriusq; consilia ad concordiam spectauerunt. qua cū ipsi Caesarī nihil esset utilius, gratiam quoq; nos inire ab eo, defendenda pace arbitrabamur. Quantum nos fefellerit, & quem in locum res deducta sit, uides. Neg. solum ea

per

perspicias quæ geruntur, quæq; iam gesta sunt: sed etiam qui cursum rerû, qui exitus futurus sit. Ergo aut probare oportet ea quæ fiunt: aut interesse, etiã si non probes: quarum altera mihi turpis, altera etiam periculosa ratio videtur. Restat, ut discedendum putem. In quo reliqua videtur esse deliberatio, quod consiliũ in discessu, quæ loca sequamur. Omnino cum miseriores res nunquam accidit, tum ne deliberatio quidẽ difficilior. Nihil enim constitui potest, quod non incurrat in magnam aliquã difficultatem. Tu, si videbitur, ita censeo, facias: ut, si habes iam statutum, quid tibi agendum putes, in quo non sit coniunctum consilium meum cum tuo, superseas hoc labore itineris: sin est quod mecum communicare velis, ego expectabo. Tu, quod tuo commodo fiat, quamprimum velim venias: sicut intellexi & Servio, & Posthumanæ placere. Vale.

M. T. C. SERVIO SULPITIO

S. P. D. 3.

Vehementer te esse sollicitum, & in communibus miserijs præcipuo quodam dolore angi, multi ad nos quotidie deferunt. Quod quanquã minimè miror, & meum quodammodo agnosco, doleo tamen te sapientia præditum propè singulari, non tuis bonis delectari potius, quàm alienis malis laborare. Me quidẽ, etsi nemini concedo, qui maiorem ex pernicie, & peste Reipublicæ molestiam traxerit: tamẽ multa iam consolatur, maximeq; conscientia consiliorum meorũ. Multo enim antè, tanquã ex aliqua specula, prospexi tempestatẽ futuram: neq; id solum mea sponte, sed multo etiã magis monente, & denuntiante te. Etsi enim a' sui magnam partem consulatus tui: tamẽ & absens cognoscebam, quæ esset tua in

EPIST. FAM.

hoc pestifero bello cavendo & pracidendo sententia, & ipse affui primis temporibus tui consulatus, cum accuratissime monuisti senatum collectis omnibus bellis civilibus, ut & illa timerent, quae meminissent & scirent cum superiores nullo tali exemplo antea in Rep. cognito, tam crudeles fuissent, quicūq; postea Rempub. oppressisset armis, multo intolerabiliorem futurum. NAM quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant. & aliquid, atq; adeo multa addunt & afferunt de suo. Quare meminisse debes eos, qui auctoritatem & consilium tuum non sunt secuti, sua stultitia occidisse, cū tua prudentia salvi esse potuissent. Dices: Quid me istares consolatur in tantis tenebris, & quasi perpetuis reipublicae? Est omnino vix consolabilis dolor: tanta est omnium rerū amissio, & desperatio recuperandi. Sed tamen & Caesar ipse ita de te indicat: & omnes cives sic existimant, quasi lumen aliquod extinctis ceteris, lucere sanctitatem & prudentiam & dignitatem tuam. Hae tibi ad lenandas molestias magna esse debent. Quod autem à tuis abes, id eo lenius ferendum est, quod eodem tempore à multis ac magnis molestiis abes: quas ad te omnes perscribere, ni vereretur, ne ea cognosceres absens: quae quia non vides, mihi videris meliore esse conditione, quam nos, qui videmus. Haecenus existimo nostram consolationem recte adhibitam esse, quoad certior ab homine amicissimo fieres ijs de rebus, quibus lenari possent molestiae tuae. Reliqua sunt in te ipso, neq; mihi ignota, nec minima solatia, & (ut quidē ego sentio) multo maxima: quae ego ipse experiens quotidie, sic probo, ut ea mihi salutem afferre videantur. Te autem ab initio aetatis memoria teneo summe omnium doctrinarum studiosum fuisse: omniaque quae à sapientissimis ad bene vivendum tradita essent,

sent, summo studio curaquē didicisse : quæ quidem vel optimis rebus & usui & delectationi esse possent. his verò temporibus habemus aliud nihil, in quo acquiescamus. Nihil faciam insolenter, neque te tali uel scientia, uel natura preditum hortabor, ut ad eas te referas artes, quibus à primis temporibus ætatis studium tuum dedisti. Tantum dicam, quod te spero approbaturū, me posteaquā illi arti cui studueram, nihil esse loci, neque in curia neque in foro. uiderem omnem meam curam atq; operam ad philosophiam contulisse. Tuae scientiæ excellenti ac singulari non multo plus, quā nosiræ, reliquū est loci. Quare non equidem te moneo : sed mihi ita persuasi te quoque in ysdem versari rebus, quæ etiam si minus prodesse, animum tamen à solitudine abducerent. Seruus quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primisq; in hac, in qua ego me scripsi acquiescere, ita versatur, ut excellat. A me verò sic diligitur, ut tibi uni concedam. præterea nemini : mihiq; ab eo gratia refertur : in quo ille existimat, quod facile appareat, cum me colat & obseruet, tibi quoque in eo se facere gratissimum. Vale.

M. T. C. SERVIO SVLPI-

TIO S. D. P. 4.

Accipio excusationem tuam, qua usus es, cur sapius ad me literas uno exemplo dedisses : sed accipio ex ea parte, quatenus aut negligentia aut improbitate eorum qui epistolas accipiant, fieri scribis, ne ad nos perferantur. Illam partem excusationis, qua te scribis orationis paupertate (sic enim appellas) ysdem verbis epistolas sepius mittere, nec agnosco, nec probō. Et ego ipse, quem tui per iocum (sic enim accipio) dinitias ora-

EPIST. FAM.

tionis habere dicis, me non esse verborum admodum in-
 ppem agnosco. εἰ γὰρ οὐκ ἔστιν enim non necesse est: sed tamē
 idem, nec hoc εἰ γὰρ οὐκ ἔστιν, facile cedo tuorum scri-
 ptorum subtilitati, & elegantie. Consilium tuum, quo
 te usum scribis, hoc Achaicum negotium non recusasti.
 se, cū semper probauissem, tuum multo magis probam
 lectis tuis proximis literis. Omnes enim causae, quas cō-
 memoras, iustissimae sunt, tuarūq; & auctoritate & pru-
 dentia dignissimae. Quod aliter cecidisse rem existimas
 atque opinatus sis, id tibi nullo modo assentior. Sed quia
 tanta perturbatio, & confusio est rerum, ita percussa,
 & prostrata fœdissimo bello iacent omnia, ut is cuique lo-
 cus, ubi ipse sit, miserrimus esse videatur, propterea &
 tui te cōsiliū poenitet, & nos qui domi sumus, tibi beati vi-
 demur: at contra nobis, non tu quidem vacuus molestiis,
 sed prae nobis beatus. Atq; hoc ipso melior est tua, quam
 nostra conditio, quod tu, quid doleas, scribere audes,
 nos ne id quidē tūto possumus: nec id victoris vitio, quo
 nihil moderatius, sed ipsius victoriae, quae civilibus bel-
 lis semper est insolens. Vno te vicimus, quod te Marcel-
 li collega tui salutē paulo antē, quā tu, cognouimus:
 etiam mehercule, quod, quemadmodū ea res ageretur,
 vidimus. Nam sic fac existimes post has miseras, id est,
 postquam armis disceptari cœptum est, de iure publico
 nihil esse actum aliud cum dignitate. Nam & ipse Caesar
 accusata acerbitate Marcelli (sic enim appellabat) lau-
 datūq; honorificentissimē & equitate tua, & prudentia,
 repente prae ter spem dixit se Senatus roganti de Marcel-
 lo, ne hominis quidem causa negaturum. Fecerat autem
 hoc Senatus, ut, cū a L. Pisone mentio esset facta de
 Marcello, & cum C. Marcellus se ad Caesaris pedes ab-
 iecisset, cunctis consurgeret, & ad Caesarem supplex as-
 ce-

sederet. Noli quare, ita mihi pulcher hic dies visus
 est, ut speciem aliquam viderer videre, quasi reuiviscē-
 tis Reipub. itaq; cum omnes ante me rogati gratias Casā-
 ri egissent, præter Volcatium (is enim si eo loco esset, ne-
 gavit se facturum fuisse) ego rogatus, mutavi meum con-
 silium. Nam statueram, non inebere in inertia, sed de-
 siderio pristinae dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit
 hoc meum consilium & Caesaris magnitudo animi, &
 Senatus officium. Itaq; pluribus verbis egi Casari gra-
 tias: meq; metuo ne etiam in ceteris rebus honesto otia
 priuarem, quod erat unicum solatium in malis. Sed
 tamen, quando effugi eius offensionem, qui fortasse ar-
 bitraretur, me hanc Reipub. non putare, si perperuo
 tacerem: modice hoc faciam, aut etiam intra modum,
 ut & illius voluntati, & meis studiis seruiā. Nam etsi a
 prima etate me ei omnis ars, & doctrina liberalis, & ma-
 xime Philosophia delectauit: tamen ita hoc studiū quo-
 tidie ingrauescit, credo & etatis maturitate ad prudē-
 tiam, & his temporum vitijs, ut nulla res alia lenare a-
 nimum molestijs possit, à quo studio te abduci negotijs,
 intelligo ex tuis literis: sed tamen aliquid iam nocte te
 adiunabunt. Sernius tuus, vel potius, noster, summa
 me obseruātia colit: cuius ego cum omni probitate, sum-
 maq; virtute, tuos studijs, doctrinaq; delector. Is mecum
 sepe de tua mansione, aut decessione communicat. Ad-
 huc in hac sum sententia, nihil ut faciamus, nisi quod
 maxime Caesar velle videatur. Res sunt eiusmodi, ut,
 si Rome sis, te nihil præter tuos delectare possit. De reli-
 quis nihil melius ipso est. Ceteri, & cetera eiusmodi, ut
 si alterutrum necesse sit, audire ea malis, quam videre.
 Hoc nostrum consilium nobis minime incundum est,
 qui te videre cupimus: sed consulimus tibi. Vale.

EPIST. FAM.

SERVIVS SVLPITIVS M. T. C.

CICERONI S. P. D. 5.

Postea quàm mihi renunciatum est de obitu Tullie filie tue, sanè quàm pro eo, ac debni, grauitèr molestèq; tui, comunemq; eam calamitatè existimaui: qui si istic affuissem, neque tibi defuissem, coramq; meum dolorem tibi declarassem. Et si genus hoc consolationis miserū atque acerbum est, propterea quia per quos id fieri debet propinquos ac familiares, ipsi pari molestia afficiuntur, neque sine lachrymis multis id conari queunt: ut magis ipsi uideātur aliorū cōsolatione indigere, quàm alijs posse suum officium prestare: tamen quæ in presentia mihi in mentem uenerunt, decreui breui ad te perscribere: non quòd ea te fugere existimem, sed quòd forsitan dolore impeditus minus ea perspicias. Quid est, quòd tantopere te commoueat tuus dolor intestinus cogita quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit: ea nobis erepta esse, quæ hominibus non minus, quàm liberi chara esse debent: patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. Hoc uno incōmodo addito, quid ad dolorem adiungi potuit? aut qui non illis rebus exercitatus animus callere iam debet atque omnia minoris aestimare? An illius vicē (credo) doles? quoties in eam cogitationem necesse est & tu ueneris. & nos sepe incidimus, hisce temporibus non pessimè cum ijs esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum uita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad uiuendum magnopere inuitare posset? quæ res? quæ spes? quod animi solatium? Vt cū aliquo adolescente primario coniuncta etatem ageret? licitum est tibi (credo) pro tua dignitate ex hac inuentute generum deligere, cuius fidei liber-

liberos tuos te tuto committere putares. An ut ea liberos ex se se pareret: quos cum florentibus uideret, letaretur? qui rem a parente traditam per se tenere possent, honores ordinatim in republica petaturi essent, in amicorum negotiis libertate sua uterentur? quod horum fuit, quod non prius, quam datum ademptum sit? At vero malum est liberos amittere. Malum, nisi hoc peius sit, hoc sufferre & perpeti. Quae res mihi non mediocrem consolationem attulit, uolo tibi commemorare, si forte eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens cum ab Aegina Megaram uersus nauigarem, coepi regiones circumcirca prospicere post me erat Aegina, ante Megara, dextra Pireus, sinistra Corinthus, quae oppida quodam tempore florētissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos iacent, coepi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrum interijt, aut occisus est, quorum uita breuior esse debet, cum uno loco tot oppidorum cadauera proiecta iaceant? Vis ne tu te Serui cohibere, & meminisse, hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi uidetur, fac ante oculos tibi proponas. Modo uno tempore tot uiri clarissimi interierunt, de imperio praeterea tanta diminutio facta est, omnes prouinciae conquassatae sunt, in unius muliercule animula si iactura facta sit, tanto opere commoueris? quae si hoc tempore non suum diem obisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam auoca, atque ea potius reminiscere, quae digna tua persona sunt: illam, quandis ei opus fuerat, uixisse, una cum republica fuisse, te patrem suum Praetorem, Consulem, Augurem uidisse, adolescenti-

EPIST. FAM.

vius primarijs nuptam fuisse; omnibus bonis propè per-
 functam esse: cum Resp. occideret, vita excessisse. Quid
 est, quod tu aut illa cum fortuna hoc nomine queri pos-
 sitis? Denique noli te obliuisci Ciceranem esse, & eum,
 qui alijs consueueris præcipere, & dare consilium: neq;
 imitare malos medicos, qui in alienis morbis profiten-
 tur se tenere medicinæ scientiam, ipsi se curare non pos-
 sunt: sed potius, quæ alijs tute præcipere soles, ea tute ti-
 bi subijce, atq; apud animum propone. **NULLVS**
DOLOR EST, QVEM NON LONGIN-
QVITAS TEMPORIS MINVAT, atque mol-
 liat. Hoc te expectare tempus tibi turpe est, ac non ei
 rei sapientia tua te occurrere. Quod si quis etiam inferis
 sensus est, qui illius amor in te fuit, pietasq; in omnes
 suos, hoc certe illa te facere non vult. Da hoc illi mor-
 tue, da ceteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore
 morerent, da patriæ: ut si qua in re opus sit, opera & con-
 silio tuo uti possit. Denique, quoniam in eam fortunam
 deuenimus, ut, etiam huic rei nobis seruendum sit, noli
 committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quam
 reipublicæ tempora, & aliorum victoriam lugere. Plu-
 ra me ad te de hac re scribere pudet, ne videar pruden-
 tiæ tuæ diffidere. Quare si hoc unum proposuero, finem
 faciam scribendi. Videmus aliquoties secundâ pulcher-
 rimè te ferre fortunam, magnamq; ex ea re te laudem
 adipisci: fac aliquando intelligamus, aduersam quoque
 te a quæ ferre posse, neque id maius, quàm debeat, tibi
 onus videri: ne ex omnibus virtutibus hac una tibi vi-
 deatur deesse. Quod ad me attinet, cum te tranquilliori
 animo esse cognouero, de ijs rebus quæ hic gerun-
 tur, quemadmodumq; se provincia ha-
 beat, certiore faciam. Vale.

M. T.

M. T. C. SERVIO Sulpitio

S. P. D. 6.

EGO verò Servi vellem, ut scribis in meo gratissimo casu affuisses. Quantum enim præsens me adiuuare potueris & consolando, & propè æquè dolendo, facile ex eo intelligo, quòd literis tuis lectis, aliquantulum acquievi. Nam & ea scripsisti, quæ leuare luctum possent: & in me consulando, non mediocrem ipse animi dolor adhibuisti. Seruius tamen tuus omnibus officiis, quæ illi temporibus tribui potuerunt, declarauit, & quanti ipse me faceret, & quam suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cuius officia iucundiora scilicet sepe mihi fuerunt, nunquam tamen gratiora. Me autem non oratio tua solū, & societas penè egritudinis, sed etiā autoritas consolatur. Turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meum, ut tu tali sapientia præditus ferendum putas. Sed opprimor interdum, & vix resisto dolori: quòd ea me solatia deficiunt, quæ ceteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defecerunt. Nam & Qu. Maximus, qui filium Consularem clarū virum & magnis rebus gestis amisit: & L. Paulus, qui duos septem diebus, & noster Gallus, & Marcus Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, ut eos tum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex republica consequabantur. Mihi autem, amissis ornamentis iis, quæ ipse commemoras, quæque eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negotiis, non reipublice procuratione impediēbatur cogitatio mea: nihil in foro agere licebat, aspicere curiā non poteram: existimabam id, quod erat, omne

me &

EPIST. FAM.

me & industrie meae fructus, & fortunae perdidisse. Sed cum cogitarem, hec mihi tecum & cum quibusdam esse communia: & cum frangerem iam ipse me, cogereque illa ferre toleranter, habebam quo confugerem, ubi conquirerem, cuius in sermone & suauitate omneis curas doloresque deponerem. Nunc autem hoc tam graui vulnere, etiam illa, quae consenuisse uidebantur, recrudescunt. Non enim, ut tum me a republica moestum domus excipiebat, quae leuaret, sic nunc domo moerens ad rempublicam confugere possum, ut in eius bonis acquiescam. Itaque & domo abs sum & foro, quod nec eum dolorem, quem a republica capio, domus iam consolari potest, nec domesticum respublica. Quo magis te expecto, teque uidere quam primum cupio. Maior mihi leuatio afferri nulla potest, quam coniunctio consuetudinis, sermonumque nostrorum: quanquam sperabam tuum aduentum (sic enim audiebam) appropinquare. Ego autem tam multis de causis te exopto quam primum uidere: tum etiam ut ante commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus, quod est totum ad unius uoluntatem accommodandum & prudentis & liberalis, & (ut perspexisse mihi uideor) nec a me alieni, & tibi amicissimi. Quod cum ita sit, magna tamen est deliberationis, quae ratio sit ineunda nobis non agendi aliquid, sed illius concessu, & beneficio quiescendi. Vale.

M. T. C. MARCO MARCELLO

S. P. D. 7.

ET si eo te adhuc consilio usum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipse dissentiam, sed quod ea te sapientia esse indicem, ut meum consilium

non anteponam tuo: tamen & amicitia nostra vetustas, & tua summa erga me benivolentia, quæ mihi iam à pueritia tua cognita est, me hortata est, ut ea scriberem ad te, quæ & salutis tuæ conducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem à dignitate. Ego enim te esse, qui eorum malorum initia multo ante videris, consulatum magnificentissime, atq; optimè gesseris, præclare mēini: sed idē etiā illa vidi, neq; te consilium civilis belli ita gerendi, neq; copias Cn. Pompeij, nec genus exercitus probare, semperque summè diffidere, quā in sententia me quoq; fuisse, memoria tenere te arbitror. Itaque neq; tu multum interfuisti rebus gerendis, & ego id semper egi, ne interessē. Non enim ijs rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, consilio, authoritate, causa, quæ erāt in nobis superiora: sed lacertis, & viribus, quibus pares non eramus. Victi sumus igitur, aut, si vinci dignitas nō potest, fracti certē & abiecti, in quo tuum consilium nemo potest non maxime laudare, quod cum spe vincendi simul abiiecisti certandi etiam cupiditatem: ostendistiq; sapientem, & bonum ciuem initia belli civilis inuitum suscipere, extrema non libenter persequi. Qui non idem consilium, quod tu, secuti sunt, eos video in duo genera esse disiectos. Aut enim renouare bellum conati sunt, et hi se in Africam contulerunt. Medium quoddam tuum consilium fuit: qui hoc fortasse humilis animi duceres, illud pertinacis. Fateor a plerisq; vel dicam ab omnibus, sapiens tuum consilium, à multis etiam magni, ac fortis animi indicatum: sed habet ista ratio, ut mihi quidem videtur, quendam modum: præsertim cum tibi nihil deesse arbitrer ad tuas fortūas omneis obtinendas præter voluntatem. Sic enim intellexi, nihil aliud esse, quod dubitationem afferret ei, penes quem est potes-

EPIST. FAM.

tas nisi quod vereretur, ne tu illud beneficium omnino
 non putares. De quo quid sentiam, nihil attinet dicere,
 cum appareat, ipse quid fecerim. Sed tamen si iam ita
 constituiſſes, ut abesse perpetuo malleſ, quàm ea que noli-
 les, videre tamen id cogitare deberes, ubicunq; eſſes, te
 fore in eius ipsius, quem fugeres potestate. Qui si facile
 paſſurus eſſet, te carentem patria, & fortunis tuis quietè
 & liberè vivere: cogitandum tibi tamen eſſet, an Myri-
 lenis, aut Rhodi malleſ vivere. Sed cum ita tantè pate-
 at eius potestas, quem veremur, ut terrarum orbem
 complexa ſit, nonnè manis ſine periculo domi tue eſſe
 quàm cum periculo alienæ? Equidem etiam ſi oppeten-
 da mors eſſet, domi, atq; in patria malleſ, quàm in ex-
 ternis, atq; alienis locis. Hoc idem omnes, qui te diligunt,
 ſeniunt: quorum eſt magna pro tuis maximis, clariſſi-
 misq; virtutibus multitudo. Habemus etiam ratio-
 nem rei familiaris tue, quam diſſipari nolamiſ. Nam
 et ſi nullam poteſt accipere iniuriam, que futura perpe-
 tra ſit: propterea quod neq; is, qui tenet Remp patietur,
 neq; ipſa Reſp. tamen impetum prædonum in tuas ſurtu-
 zas fieri nolo. Hi autem qui eſſent, auderem ſcribere,
 niſi te intelligere conſiderem. Hic te unius ſollicitudi-
 nes, unius etiam multe lachrymæ C. Marcelli fratris
 optimi deprecantur. Nos curâ & dolore proximi ſu-
 mus precibus tardiores, quòd ius ad eundem, cum ipſi de-
 precatone eguerimus non habemus. Gratia tantum
 poſſumus, quantum victi. Sed tamen conſilio, ſtudio,
 Marcello non deſumus. A tuis reliquis non adhi-
 bemur, ad omnia parati ſumus. Vale.

MAR

M. T. C. MARCO MARCELLO

S. P. D. 8.

Nequē monere te audeo præstanti prudentia virum: nec confirmare maximi animi hominem, virumq; fortissimum: consolari verò nullo modo. Nam si ea quæ acciderunt, ita fers, ut audio, gratulari magis virtuti debeat, quàm consolari dolorem tuum: sin te tanta mala Respub. frangunt, non ita abũdo ingenio, ut te consoler, cum ipse me non possim. Reliquum est igitur, te tibi me in omni re eum præbecam præstemque, & ad omnia, quæ tui velint, ita sim præsto, ut me non solum omnia debere tua causa, quæ possim, sed ea quoq; quæ nõ possim, putent. Illud tamen vel tu me monuisse, vel censuisse puta, vel propter benevolentiam tacere non potuisse: ut, quod ego facio, tu quoq; animum inducas si sit aliqua Respub. in ea te esse oportere in iudicio omnium, teque principem necessitate cedentem temporì: sin autem nullus sit, hanc tamen aptissimum esse etiam ad exulandum locum. Sin autem libertatem sequimur, qui locus hoc dominatu vacat? sin qualemcunque locum, quæ est domesticæ sede incunior? Sed, mihi crede, etiam ps, quæ omnia tenet, fauet ingenijs: nobilitatem vero, & dignitatem hominum, quantum ei res, & ipsius causa concedit, amplectitur. Sed plura, quàm statueram. Redeo ergo ad unum illud, me tuum fore cum tuis, si modo erunt tui: sin minus, me certè in omnibus rebus satis nostræ coniunctioni, amorigue facturum. Vale.

M. T. C. MARCO MARCELLO

S. P. D. 9.

G 2

Etsi

EPIST. FAM.

ET si per paucis ante diebus dederam Qu. Mutio literas ad te pluribus verbis scriptas, quibus declaraveram, quo te animo censereim esse oportere, & quid tibi faciendum arbitrarer: tamen cum Theophilus libertus tuus proficisceretur, cuius ego fidem erga te, benevolentiamq; perspexeram, sine meis literis cum ad te venire nolui. Isdem igitur te de rebus etiam atque etiam hortor, quibus superioribus literis hortatus sum, ut in ea Republica quaecunq; est, quamprimum velis esse. Multa videbis fortasse quae nolis, non plura tamen quam audis quotidie. Non est porro tuum, uno sensu solum oculorum moveri: cum idem illud auribus percipias, quod etiam minus videri solet, minus laborare. At tibi ipsi dicendum erit aliquid, quod non sentias: aut faciendum, quod non probes, **PRIMUM TEMPORI** cedere, id est necessitati parere, semper sapientis est habitum: deinde non habet, ut nunc quidem est id utiq; res, dicere fortasse, quae sentias, non licet: tacere plane licet. Omnia n. delata ad unum sunt, is utitur consilio, ne suorum quide, sed suo. Quod non multo secus fieret, si is Remp. teneret, quem secuti sumus. An, qui in bello, cum omnium nostrum coniunctum esse periculum suo cerneret, ceterorum hominum minime prudentium consilio uteretur, cum magis communem censemus in victoria futurum fuisse, quam incertis in rebus fuisset? Et qui nec te consule tuum sapientissimum consilium secutus esset, nec fratre tuo consulatum ex auctoritate tua gerente, nobis auctoribus uti noluerit, nunc omnia tenentem, nostras sententias desideraturum censes fuisse? **OMNIA SUNT MISERA IN BELLIS CIVILIBUS**, quae maiores nostri ne semel quidem, nostra etas saepe iam sensit: sed miserius nihil quam ipsa victoria, eug

que etiam si ad meliores uenit, tamen eos ipsos ferociores, impotentioresq; reddit: ut etiam si natura tales non sint, necessitate esse cogantur. **MULTA ENIM VICTORI**, eorum arbitrio, per quos nicit, etiam inuito, facienda sunt. An tu non uidebas mecum simul, quam illa crudelis esset futura uictoria? Igitur tunc quoq; patria careres, ne, qua nolles, uideres? Non inquires ego n. ipse tenerem opes & dignitatem meā. At erat tue uirtutis in minimis tuas res ponere, de Repub. uehementius laborare. Deinde qui finis istius consilij est? nam adhuc & factum tuum probatur, & ut in tali re, etiam fortuna laudatur. Factum, quod & initum bellinecessario secutus sis, & extrema sapienter persequi nolueris. fortuna, quod honesto ocio tenueris & statum, & famam dignitatis tue. Nunc uero nec locus tibi ullus dulcior esse debet patria: nec eam diligere minus debes, quod deformior est, sed misereri potius, nec eam multis claris uiris orbatam, priuare etiam aspectu tuo. Deniq; si fuit magni animi non fieri supplicem uictori, uide ne superbi sit, aspernari eiusdem liberalitatem: & si sapientis est carere patria, duri non desiderare: & si Repub. non possis frui, stultū est, nolle priuatā. Caput illud est, ut si ista uita tibi commodior esse uideatur, cogitandum tamen sit, ne tutior non sit. Magna gladiatorum est licentia, sed in extremis locis minor etiam ad facinus uerecundia. Mihi salus tua tantæ curæ est, ut Marcello fratri tuo aut par, aut certe proximus sim. Tuum est consulere temporibus, & incolumitati, & uite, & fortunis tuis. Vale

M. T. C. M. MARCELLO

S. P. D. 10.

G 5

Et si

EPIST. FAM.

ET si nihil novi, quod ad te scriberem, habebam, magisq; literas tuas expectare incipiebam, vel te potius ipsum: tamen cum Theophilus proficisceretur, non potui nihil ei literarum dare. Cura igitur, ut quamprimum venias: venies enim, mihi crede, expectatus, neq; solum nobis, id est tuis, sed prorsus omnibus. Venit enim mihi in mentem subuereri interdū, ne te delectet tarda decessio. Quod si nullum haberes sensum, nisi oculorum, prorsus tibi ignoscerem, si quosdam nolles videre. Sed cum leniora non multo essent, quæ audirentur, quam quæ viderentur: suspicarer autem multū interesse rei familiaris tuæ, te quam primum venire, atq; in omneis partibus ualere, putavi ea de re te esse admonendum. Sed quoniam, quod mihi placeret, ostendi, reliqua tu pro tua prudentia considerabis: me tamen uelim, quod ad tempus te expectemus, certiores facias. Vale.

M. MARCELLVS M. CICE-
RONI S. II.

Proximum ualuisse apud me tuā sepe authoritat. cū in omni re, tum in hoc maximè negotio potes existimare. Cū mihi C. Marcellus frater amantissimus mei, non solum consilium daret, sed precibus me obsecraret, non prius mihi persuadere potuit, quam tuis est effectum lieris, ut uterer uestro potissimum consilio. Res quemadmodum sit acta, uestre literæ mihi declarant. Gratulatio tua ei si est mihi probatissima, quod optum sit animo: tamen hoc mihi multo incūdius est, & gratius, quod in summa paupertate amicorum, propinquorum, ac necessariorum, qui uerè meæ salutis fauerent, te cupidissimum mei, singularemq; mihi beneuolentiam præstitisse cognoui. Reliqua sunt eiusmodi, quibus ego, qua-

nam hac erant tempora facile, & a quo animo carebam.
 Hoc uero eiusmodi esse statuo, ut sine talium uirorum
 & amicorum beneuolentia, neq; in aduersa, neq; in se-
 cunda fortuna quisquam uiuere possit. Itaq; hoc ego mi-
 hi gratulor. Tu uero ut intelligas, homini amicissimo te
 arribuisse officium, re tibi prestabo. Vale.

SERVIVS SVLPITIVS CI.

CERONI S. 12.

ET si scio non incunissimum nuncium me uobis alla-
 turum, tamen quoniam CASVS ET NATV-
 RA in bonis dominantur, visum est faciendum quoquo
 modo res se haberet, uos certiores facere. Ad X. Calend.
 Iunij cum ab Epidaurō Piræum nauī aduectus essem,
 ibi Marcellum collegam nostrum conueni. eumq; diem
 ibi consumpsi, ut eum eo essem. Postero die cum ab eo di-
 gressus essem, eo consilio, ut ab Athenis in Bæotiam irem,
 reliquamq; iurisdictionem absoluerem: ille, uti aiebat,
 supra Maleas Italiam uersus nauigaturus erat. Postri-
 die eius diei cum ab Athenis proficisci in animo habere
 circiter horarum decimam noctis Posthumius familiaris
 eius ad me uenit, & mihi nunciauit, M. Marcellum col-
 legam nostrum post coena tempus à P. Magio Chilone,
 familiari eius, pugione percussus esse, & duo uulnera
 accepisse: unum in stomacho, alterum in capite secundū
 aurem sperare tamen eum uiuere posse: Magium seipsum
 interfecisse, postea se à Marcello ad me missum esse, qui
 hac nuntiaret, & rogaret, uti cogerem medicos. Coegi.
 & uestigio eo sum profectus prima luce, cum non longè
 à Piræo abessem, puer Alcidini obuiam mihi uenit cum
 codicillis, in quibus erat scriptum, paulo ante lucem
 Marcellum diem suum obiisse. Itz uir clarissimus ab ho-

EPIST. FAM.

mihi teterrimo acerbissima morte est affectus, & cui ini-
mici propter dignitatem pepercerant, inuentus est ami-
cus, qui ei mortem offerret. Ego tamen ad tabernaculum
eius perrexi, inueni duos liberos, & pauculos seruos, re-
liquos aiebant profugisse metu perterritos, quod domi-
nus eorum ante tabernaculum interfectus esset. Coactus
sum in eadem illa lectica, qua ipse delatus eram, meisq;
lecticarijs in urbem eum referre: ibiq; pro ea copia, qua
Athenis erat, funus ei satis amplum faciendum curavi.
Ab Atheniensibus locum sepulture intra urbem, ut da-
rent, impetrare non potui: quod religione se impediri di-
cerent, neq; tamen id antea cuiquam concesserant. Quod
proximum fuit, uti in quo uellemus Gymnasio eum se-
peliremus, nobis permiserunt. Nos in nobilissimo orbis
terrarum GYMNASIO ACADEMIAE
locum delegimus, ibiq; cõbussimus, posteaq; curauimus,
ut ydem Athenienses in eodem loco monumentũ mar-
moreum faciendum locarent. Ita, quæ nostra officia fue-
runt, pro collegio, & propinquitate, & uiuo & mortuo
omnia ei præstitiũs. Vale. Date prid. Cal. Ian. Athenis.

M.T.C. P. NIGIDIO FIGVLO

S. P. D. 13

Quarenti mihi iamdiu quid ad te potissimum scri-
berem, non modo certa res nulla, sed ne genus qui-
dem literarum ueniebat, in mentem. Vnam enim par-
tem, & consuetudinem earũ epistolarũ, quibus secundis
rebus uti solemus, tempus eripuerat, perfeceratq; fortu-
na, ne quid tale scribere possem, aut omnino cogitare. Re-
linquebatur triste quoddã & miserũ, & his temporibus
cõsentaneũ genus literarũ, id quoq; deficiebat me, in quo
debebat esse aut promissio auxilij alicuius, aut consolatio

tio doloris tui. Quod pollicerer, non erat: ipse n. pari for-
 tuna abiectus, aliorum opibus casus meos sustentabā, se-
 piusq. mihi veniebat in mentē queri, quod ita viverem,
 quam gaudere, quod viverē. Quamquam n. nulla me i-
 psū pinatim perculit insignis iniuria: nec mihi quic-
 quā tali tempore in mentē venit optare, quod nō ultrō
 mihi Caesar detulerit: tamē nihilominus eis cofincior cu-
 ris, ut hoc ipsum, quod manē in vita, peccare me existi-
 mem. Careo n. cū familiarissimis multis, quos aut
 mors eripuit nobis, aut detraxit fuga, tum omnibus a-
 micis, quorū benevolentia nobis cōciliarat per me quō-
 dam te socio defensa Resp. uersorq. in eorum naufragijs &
 honorū direptionibus: nec audio solū, quod ipsum esset
 miserū, sed etiā id ipsū uideo, quo nihil est acerbius, corū
 fortunas dissipari, quibus nos olim adiutoribus illud in-
 cendiū extinximus: & in qua urbe modo gratia, antho-
 ritate, gloria floruius, in ea nunc is quidē omnibus ca-
 remus. Obtinemus ipsius Caesaris summā erga nos hu-
 manitatē. sed ea plus nō est, quā uis, & mutatio omni-
 um rerū atq. temporū. Itaque orbus is rebus omnibus,
 quibus & natura me, & uoluntas, & consuetudo assue-
 cerat, cū cetris, ut quidē uideor, tum ipse mihi disple-
 ceo. Natus n. ad agendū semper aliquid dignum uiro:
 nunc non modo agendi rationē nullā habeo, sed ne cogi-
 tandi quidē: & qui antea aut obscuris hominibus, aut
 etiam fontibus opitulari poterā, nunc P. Nigidio uni o-
 mnium doctissimo, & sanctissimo, & maxima quondā
 gratia, & mihi certē amicissimo, ne benigne quidē polli-
 ceri possū. Ergo hoc ereptum literarū genus. Reliquum
 est, ut consolet, & afferā rationes, quibus te à molestijs co-
 nec abducere. At ea quidē facultas nē tui, uel alterius
 consolandi, in te summa est, si unquā in ullo fuit. Itaq. eā

EPIST FAM.

partem, quæ ab exquisita quadã ratiõẽ & doctrina proficiscitur, non attingã. Quid sit forti, & sapiente hominẽ dignũ, quid gravitas, quid altitudo animi, quid acta tua vita, quid studia, quid artes, quibus à pueritia floruisse à te flagitent, tu uidebis. Ego, quod intelligere & sentire possim, quia sum Roma, & quia curo, attendoq; id tibi affirmo te in istis molestijs, in quibus es hoc tempore: non diutius futurũ: in ijs autẽ, in quibus etiã nos sumus, fortasse sepe fore. Videor mihi pspicere primũ ipsius, animũ qui plurimũ potest, pp̃sum ad salutẽ tuã. Nõ scribo hoc temerẽ quò minus familiaris sum, hoc sum ad inuestigandũ curiosior. Quò facilius, quibus est iratior, respondere tristius possit, hoc est adhuc tardior ad te molestia liberandum. Familiares uerò eius, et ij quidem qui illi incundissimi sunt, mirabiliter de te & loquuntur, & sentiunt. Accedit eodẽ vulgi voluntas vel potius consensus omnium etiã illa, quæ minimũ nunc quidem potest (sed possit necesse est) Resp. quascunq; uireis habebit, ab ijs ipsis, à quibus tenetur, de te propediem, mihi credere impetrabit. Redeo igitur ad id, ut iam tibi etiã pollicear aliquid quod primo omiseram. Nam & amplectar eius familiarissimos, qui me admodum diligunt, multumq; mecum sunt. & in ipsius consuetudinem, quã adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo: & certè omneis uias persequar, quibus putabo ad id, quod uolumus, perueniri posse. In hoc toto genere plura faciam, quàm scribere audeo. Cetera, quæ tibi à multis prompta esse certò scio, à me sunt paratissima. Nihil in re familiari mea est, quod ego malim meũ esse quàm tuum. Hac de re. & de hoc genere totq; hoc scribo parcius, quòd te, id quod ipse confido, sperare malo esse usum tuis. Extremũ illd est, te hortor, & obsecrẽ, animo ut maximo sis, ne ea solũ

memineris, quæ ab alijs uiris accepisti, sed illa etiã, quæ ipse ingenio studioq; peperisti: quæ si colliges, & omnia optime, & quæ accident, quælibetq; erunt, sapienter feres. Sed hæc tu melius, uel optimè omnium. Ego quæ perinere ad te intelligã, studiosissimè omnia, diligentissimèq; curabo: tuorumquæ tristissimo meo tẽpore meritorum erga me memoriam conseruabo.

M. T. C. CN. PLANCIO

S. P. D. 14

BInas à te accipi literas Corcyre datas: quarũ alteris mihi gratulabare, quòd audisses me meã pristinã dignitatẽ obtinere: alteris dicebas, te uelle, quæ egissẽ, bene, & feliciter euenire. Ego autem, si dignitas est bene de Rep. sentire, & bonis uiris probare quòd sentias, obtineo dignitatẽ meã: sin autem in eo dignitas est, quòd sentias, aut re efficere si possis, aut deniq; libera oratione defendere, ne uestigiũ quidẽ ullũ est reliquum dignitatis: agiturq; præclare. Si nosmetipsos regere possimus, ut ea quæ partim iam adsunt, partim impendent, moderatè seruius, quòd est difficile in eiusmodi bello, cuius exitus ex altera parte cadẽ ostentat, ex altera seruitutem. Quo in periculo nonnihil me consolatur, cùm recorder, hæc me tunc uidisse, cùm secundas etiã res nostras, non aduersas, per-
timeceba, videbamq; , quanto periculo de iure publica disceptaretur armis: quibus si uicissent, ad quos ego pacis spe non belli cupiditate adductus accessera, intelligebam tamen, & iratorũ hominũ, & cupidorũ, & insolentia, quã crudelis esset futura victoria: sin autẽ uicti essent, quantus interitus esset ciuiũ, partim amplissimorum, partim etiã optimorũ, qui me hæc predicentẽ atq; optime consulentẽ salutis suæ, malebant nimium timidum.

EPIST. FAM.

quàm satis prudentem existimari. Quòd autē mihi de eo, quod egerim, gratularis, te ita velle certò scio: sed ego tam misero tempore nihil noui consilij cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quàm Remp. offendissem. Quibus enim pro meis immortalib. beneficijs charissima mea salus, & mea fortune esse debebant, cum propter eorū scelus nihil intra meos parietes tutum, nihil insidijs vacuū viderem: nouarum me necessitudinum fidelitate contra veterū inimicorū perfidiā muniendum putavi. Sed de nostris rebus satis, vel etiā nimis multa. De tuis velim, ut eo sis animo, quo debes esse: id est, ut ne quid tibi precipue timendū putes. Si n. status erit aliquis ciuitatis, quicumq; erit, et omnium periculorum video expertē esse. Nā alteros tibi iam placatos esse intelligo, alteros nunquā iratos fuisse. De mea autē in te voluntate sic velim iudices, me quibuscunq; reb. opus esse intelligā, quanquā videā, quis sim hoc tempore, & quid possim, opera tamen, & consilio, studio quidē certē, rei fama, salutis tue prestō futurū. Tu velim & quid agas & quid acturum te putes, facias me quàm diligentissime certiore. Vale.

M. T. C. CN. PLANCO.

S. P. D. 15.

Accepi per breueis tuas literas, quibus id, quod scire cupiebā cognoscere non potui: cognoui autem id, quod mihi dubium non fuit. Nam quàm fortiter ferres communis miseriae, non intellexi: quàm me amares facile perspexi: sed hoc sciebam. Illud si scissem, ad id meas literas accommodassem. Sed tamen, etsi antea scripsi, quae existimaui scribi oportere: tamen hoc tempore breuiter

inter cōmonedum putavi, ne quo periculo te proprio ex-
 istimares esse: in magno omnes, sed tamen in cōmuni su-
 mus. Quare non debes aut propriā fortunā, aut prācipu-
 am postulare, aut cōmunem recusare. Quapropter eo a-
 nimo simus inter nos, quo semper fuimus. Quod de te
 sperare, de me prestare possum. Vale.

M. T. CICER. EPISTO-
 LARVM FAMILIARIVM
 LIBER QVINTVS.

Q. METELLVS CELER, Q. F.
 PROCONSVL S.D. M.T.

CICERONI. i

SI vales bene est. Existimaram pro mutuo inter nos
 animo, & pro reconciliata gratia, nec absente ludi-
 brio lesūm iri, nec Metellum fratrem ob dictū capite ac
 fortunis per se oppugnatū iri. Quem si parū pudor ipsi-
 us defendebat, debebat vel familie nostre dignitas, vel
 meū studiū erga vos, Remq; pub. satis subleuare. Nunc
 vides illū circumuentū, me desertum, à quibus minime
 conueniebat; Itaq; in luctu, & squalore sum, qui pro-
 uincia, qui exercitui præsūm, qui bellum gero. Qua
 quoniā nec ratione, nec maiorū nostrorū clementia ad-
 ministrastis, non erit mirandū, si vos pœnitebit. Te tam
 mobili in me, meosq; animo non sperabā. Me interea nec
 domesticus dolor, nec cuiusquam iniuria à Republica ab-
 ducet. Vale.

M.T.C.